

IMMORTALITATEM ANIMAE

EX ECCLES. III. v. 19-21.

28

DEMONSTRAT

SIMVLQVE

VIRIS CLARISSIMIS AC DOCTISSIMIS

DOMINIS

JO. GOTTHELF KVPFERO,

ZSHOPAVIENS.

JO. THEODORO LINGKIO,

TORGAVIENS.

LUDOVICO QVILIELMO

JVNIO,

LIPSIENS.

DE SVMMIS,

QVOS ACCEPERVNT,

IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

NOMINE

COLLEGII

ΦΙΛΟΛΟΓΟΥΝΤΩΝ

SVB

PRAESIDIO GRAVISSIMO

VIRI MAGNIFICI,

SVMME REVERENDI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMIQVE,

ROMANI TELLERI,

FLORENTIS,

GRATVLATVR

M. GOTTLÖB FRID. NICOL. WOLLE,

INFRA-LOQVIZENS. SCHWARTZB.

LIPSAE, LITTERIS BAVCHIANIS.

1745



IMMORTALITATE ANIMAE

EX EGGER III. 12. 21.

DEMONSTRAT

AVGUSTINUS

TRINCLAVIENSIS AC DOCTISSIMUS

D. O. M. I. N. I. S.

IO. GOTTHELF KAPFERER

ESSENSENSIS

IO. THEODORO LINGKIO

TORUNENSIS

LUDOVICO OVILHEMO

IVNIO

EPISCOPE

DE SVAVIA

AVGUSTINUS

IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

AC

COLLEGII

GIARDONIS

SVB

TRAVENIO

VIENNAE

AVGUSTINUS

ROMANI

EPISCOPE

DE SVAVIA

IO. GOTTHELF NICOL WOLFF

LEIPZIGENSIS SCHWARTZ

LEIPZIGENSIS





VIRI CLARISSIMI AC DOCTISSIMI,
AMICI ÆSTVMANTISSIMI.

Quum ipse Spiritus S. doceat *), omnem
sacram scripturam non nisi ad analogiam
fidei interpretari nos debere, maxime caveamus,
ne in ea exponenda ab hac norma recedamus.
Media quoque in explicando Codice hermenevti-
ca adhibentes, & maxime quidem contextum,
significatus terminorum, locaque parallela legitime
eruentes, nunquam quædam deprehendemus, quæ cum articulis fidei
non conveniant. Hinc non amplius inquirendum esse, credo, cur
tam multi, etiam doctissimi, in sacrarum litterarum interpretatione a via

A 2

veri-

*) Confr. Rom. XII. 6. Εἴτε προφητείαν (sc. ἔχοντες) κατ' ἀναλογίαν
τῆς πίστεως. Ubi per προφητείαν non nisi rectam scripturam explicandi ra-
tionem interpretes communiſſ. intelligunt; Per fidem adeoque non qua, sed quæ
creditur, sive dogmata fidei in scriptura comprehensa; quæ nempe dogmata nor-
ma s. regula esse debent, ad quam omnis sacra nostra scriptura est explicanda.

veritatis aberrant; de quo vero plura leges apud D. Grawerum in Diff. Th. Qui fiat, quod multi, etiam eruditissimi, in sacrarum litterarum interpretatione a via veritatis aberrare videmus? Huc etiam pertinet summ. Rev. Telleri Programma: de Philosophismo Exegetico. Quid nunc porro mirum est, quod tam falsas verborum Eccles. III. v. 19 — 21. interpretationes videmus? Nec enim ex contextu, nec ex significatibus, terminis hic occurrentibus tribuendis ea explicuerunt verba. Mediis itaque ab his interpretibus neglectis, nullam cum dogmatibus fidei convenientiam his in verbis esse, olim opinati sunt. Quis est, qui nesciat, hæreticos quosdam olim inde probare voluisse, animas hominum post mortem dormire? Neminem porro fugere, credo, Ioannem Clericum, virum magna sane eruditionis doctrina pollentem, propterea, quia varia hoc in libro, & maxime hoc in efato citato contra analogiam fidei pugnantia occurrere, ipsi visa sunt, autorem huius libri non virum *θεόπνευστον*, sed Sadducæum quendam, pronuntiare. Sed nisi præiudicia quædam animum eius occupassent, aliter hæc de re iudicasset.

Ego quidem, si quid hæc de re iudicare valeo, iudico, Salomonem his in verbis non solum immortalitatem animæ non negare; sed etiam ex his verbis adeo argumentum aliquod pro ea demonstranda defumi posse. Hinc pro meis quidem viribus hæc verba difficiliora explicabo ex significatibus terminorum, nec non contextu: deinde vero ostendam, quatenus ex hoc loco immortalitas animæ demonstrari possit.

Primo omnium inquirendum venit, quid per *כני ארם* & per *כדמה* filios hominum & bestias intelligat Salomo? Varias *כני ארם* significationes accipere, ipse quidem usus testatur, & confr. præterea B. Danz. interp. §. 57. ed. maj. Ex versu autem proxime antecedenti, quid hoc loco significet, erui poterit. Ita enim Salomo v. 18. loquitur: Ad rem s. negotium filiorum hominis quod attinet, eos Deus probe cognoscit s. explorat, & videt, quinam eorum sint ipsæ bestiae s. uti bestia. Quis inde non videt, Salomonem discrimen aliquod inter homines eos constituere, qui

qui ut homines vivunt, suas actiones ad legem Dei, normam actionum, dirigunt, semperque coram Deo ambulant, hoc est pie ac iuste vivunt: Et inter eos, qui omnem plane honestam vitæ rationem negligunt, impieque vivunt, s. uti loqui vulgo solent: brutale Leute. Adeoque non video, cur in sequentibus, per filios hominis & bestias non idem intelligere velimus, quum præcipue etiam ה demonstrat. additum deprehendamus.

Quum itaque Salomo versu anteced. adfirmasset, alios homines esse pios, alios impios, nunc in sequentibus ostendit, quales pii præ impiis habeant prærogativas: Vers. 19. 20. negat, peculiaribus pios præ impiis gaudere prærogativis ante mortem, ratione status externi, & ratione circumstantiarum externarum, quibus & pii & impii hac in vita ex summa Dei sapientia circumscripti sunt: Immo, idem & piis & impiis mortis genus contingere, ex experientia probat: Sed v. 21. vult demonstrare, post mortem aliam esse conditionem; quod ex infra dicendis magis elucefcet.

Hos versus itaque inter se connexos si rite consideramus, periculam וי per *Equidem* optime nos interpretari posse, existimo; siquidem autor noster divinitus inspiratus duo membra constituens, in priori quidem de statu externo hominum huius vitæ agit, in altero vero huic statui alium post mortem opponit.

Ad vocem vero מקרה quod attinet, vi radices significat id, quod accidit s. contingit, sed maxime, quoad circumstantias externas s. statum externum; Huc pertinent fortuna, dignitas, opes, quibus homines hac in vita perfruuntur. Id vero, quod in primis & piis & impiis contingit, est mors, qua commercium corporis & animæ aufertur, & corpus in suas dissolvitur partes. Ratione eorum igitur, quæ & piis & impiis contingere solent, nullam peculiarem prærogativam statuendam esse, nunc auctor σοφιστεος colligit, addens rationem: הבל כיהכל ubi observes velim!, quod הכל omnes homines, pios nempe, æque ac impios sub se comprehendat; nam de his hic loquitur. הבל vero ex הבל vaporavit, originem trahens, significat id,

quod, ut vapor, facile dissipatur ac perit, ut vix ullum eius vestigium cernatur. Adhibetur vero quam sapissime de vita hominis naturali, quæ definit (confr. Iob. VII, 16. Eccles. IX, 19.) Et cum auctor noster in hoc ipso versu de eo, quod homines certe moriantur, dixerit, non est, quod dubito, quin idem illud per hanc vocem, qua usus est, indicet, simulque istud maiori cum emphasi confirmet: Propterea nempe, quia omnes homines morti sunt obnoxii, in respectu circumstantiarum, quibus hoc in mundo circumscripti sunt, externarum, nec pii præ impiis, nec impii præ piis peculiaribus gaudent prærogativis, quippe hæc omnia, si vita definit, pereunt. Quæ omnia itaque iterum confirmant, vocem מקרה h. l. quicquid hominibus, sive sit bonum, sive sit malum, quoad externa, contingit, indicare. Sic nunc vers. 20. nullam peculiarem explicationem addendam esse, censeo, quippe ex proxime antecedentibus satis patet, Salomonem hic non nisi de fine vitæ ac interitu hominis, quoad corpus, loqui posse: &, ut itaque brevissimis me expediam, hoc tantum addo, phrasas: redire in unum locum: redire in pulverem, in primis hunc obtinere sensum; omnes homines mortui, quoad corpora sua, loco quodam detinentur, quo corpora in suas, ex quibus composita olim fuerunt, partes iterum dissolvuntur confr. Gen. II, 7. cap. III, 19. Salomonem itaque adfirmare, hominem ratione corporis morti esse obnoxium, immo actu mori, non vero ratione animæ, inde colligendum esse, iudico.

Porro vero, quod alterum huius effati membrum est, huic statui hominum piorum æque & impiorum, qui idem iis est, externo, opponit statum post mortem, & internum ratione animæ, quo pii & impii maxime inter se differunt: quippe alius est pii, alius impii status, post hanc nempe vitam v. 21. Quis (vero) cognoscit spiritum filiorum hominis, qui ascendit supra? & spiritum eorum, qui sunt ut bestia, qui descendit infra in terram.

ויע hic in oppositione ad מקרה, quod erat, quod externe inprimis contingere solet, adeoque oculis conspici potest, significat id, quod
in

in sensus externos, & maxime quidem in visum cadit: interrogando vero Salomo hic negative loquitur *). Per חוּר vero, quia hominibus tribuitur, commodissime intelligimus animam, alteram hominis partem, quæ intellectu ac voluntate gaudet, adeoque ens est simplex, quod itaque oculis concerni non potest: nullus, inquit, internum hominis, simplex, animam nempe, oculis poterit videre ita, ut illa externa, quæ omnes sensibus externis comprehendere possunt. De anima vero piorum, etiam post mortem perdurante, prædicat, quod ascendant supra; de impiorum contra, quod descendat infra terram; quas phrasas biblicas optime ex Deut. XXVIII, 43. explicare potero. Ibi enim eadem voces ac phrasas sibi invicem opponuntur; neque ullus, locum hunc considerans, inficias ire poterit, supra ascendere idem esse, ac peculiari dignitate ac felicitate perfrui; & e contrario infra descendere e priori dignitatis ac felicitatis statu ad maximam infelicitatem miseriamque devenire. Qui significatus, uti contextus docet, & hoc loco locum habet; & Salomo vult edocere, spiritum, seu animam, piorum ad summam pervenire felicitatem post mortem: animam autem impiorum ad maximam miseriam, sive infelicitatem: qui itaque duplex status piorum ac impiorum maxime diversus est, licet hac in vita idem status externus & piis & impiis esse possit. Addit quidem auctor vocem אָרָא, sed in oppositione ad cælum, quod est supra, quo status piorum sensu biblico indicatur. Conf. B. Pfeiff. Thef. herm. pag. 581.

Quum vero non peculiarem tractatum, sed epistolam aliquam conscribere, & brevissimis me expedire debeam, de significatibus vocum nihil amplius addam; satis inde nunc patet, hunc verborum Salomonis esse sensum: Equidem quod externe (scilicet hac in vita) piis ac impiis contingere

*) Interim tamen interpretationi nostræ non repugnat, si מִי יִרְעָה optative (o si! cognoscerent) sumitur; Ebraei enim optativum per pronomen interrogat. Personæ sæpe exprimere solent. Conf. Celeb. Baueri *erläuterter Grund Text vom Prediger Salomo* in h. l. Et sic יִרְעָה hic aliquid probe perpendere ac considerare significat; ita quoque sumitur Jer. 8, 7. Psalm 90, 11.

tingere solet, idem illud iis (scl. & piis & impiis) contingere potest: maxime hoc omnibus contingit, ut omnes eodem modo naturali moriantur; omnes quidem uno spiritu, sive anima gaudent, nec pius præ impio habet prærogativam (nempe quoad externa) nam omnes (sive sint pii, sive sint impii) morte intereunt (adeoque hæc omnia simul intereunt). Sed quis internam hominis partem, animam nempe, ita conspiceret, ut hæc externa hominibus hoc in mundo contingentia? status post mortem eorum maxime differt a statu huius vitæ: post mortem enim animæ piorum, summa felicitate ac dignitate perfruuntur, licet fortasse hoc in mundo maxime infelices, & omni honore mundano destituti fuerint: anima vero impiorum, licet fortasse hac in vita omnem voluptatem sensualem perceperint, & ad summos honores pervenerint, non nisi taediis ac maxima infelicitate adficietur.

Hunc sensum esse verborum, præterea ex toto contextu perspicere licet. Duo in primis tractationis capita hunc Salomonis librum continere, & alii observarunt interpretes: Priori nempe membro de omnium rerum vanitate homines certos vult reddere, & altero homines ad pie vivendi rationem commovere conatur, ita tamen, ut hanc suam doctrinam de rerum vanitate immisceat. Quum nunc Salomo primo omnium de rerum vanitate dixisset, simul ea, quæ homines, bona huius mundi pro summis in primis habentes, obiicere poterant, removet. Hinc Cap. I, v. 13 - 18. adfirmat, omnem sapientiam humanam, nisi divina per spiritum S. efficienda accedat, multum omnino taedii secum coniunctum habere; quo adeoque effato reiicitur illud, quod obiici potuisset: Scientiam, seu cognitionem rerum esse aliquid iucundi, quod homo per actiones suas sibi acquirere posset. Deinde Cap. II, & seqq. in primis demonstrari videmus, homines, si etiam ex prudentia sua practica, quam sibi acquirere conentur, omnes suas actiones dirigere vellent, tamen sapissime falli: quod in primis Cap. III, a vers. 16, usque ad finem huius Cap. ex hoc fundamento probat, quia experientia fati testetur, loco iuris ac iustitiæ summam impietatem, summam iniustitiam esse: ne tamen hocce cum summa Dei iustitia pugnare videatur, addit, Deum certo ac statuto tempore & pios, & impios iudicatu-

caturum esse; inde porro v. 18, collegit, Deum hoc in mundo ex summa, quæ ei competit, sapientia permittere, ut homines brutis similes fiant, (Deus enim omnia mala moralia violento quodam modo impedire nec debet, nec, quia in iis secundum potentiam ordinatam agit, potest). Et insertis nunc nostris verbis, subiicit tandem: itaque video, nihil esse bonum, nisi, ut lætetur homo suis in operibus: Nos igitur inde faciliori negotio colligere possumus, Salomonem his in verbis refellere illud, quod obiicere poterant, prudentiam hominum practicam, quam acquirunt sibi, neutiquam aliquid esse inane. Quum interim in proxime antecedentibus 1) de impietate ac iniustitia, quam homines hac in vita exercent, 2) de certissimo Dei iudicio, quod hanc vitam sequitur, sermo fuerit, quis nunc existimare, aut vi contextus tueri poterit, his ipsis verbis insertis a vers. 19-21, non idem affirmari a Salomone? Quis non videt, Salomonem his in verbis confirmare velle, Deum quidem mala, etiam moralia, hoc in mundo permittere, post mortem vero pœnis quoque impios, ut & pios præmiis adficere? Quis denique non perspicit, Salomonem his in verbis immortalitatem animæ non solum non negare, sed magis demonstrare ac confirmare? Quod etiam nunc ex sequentibus elucescet.

Mors generatim spectata involvit cessationem facultatum operandi: Corpus organicum cum anima ratione prædita unitum, constituit hominem viventem: Cessante itaque commercio corporis & animæ, adeoque cessationibus organorum corporis functionibus, cessat vita hominis: & sic quidem corpus humanum moritur, & homo, quatenus desinit commercium; nec tamen inde sequitur, eo ipso animam eius, quæ nullis partibus constat, adeoque simplex est, mori: mors enim animæ consistit in cessatione omnium eius facultatum. Quemadmodum itaque emortuo corpore, in partes suas illud dissolvitur, sic anima, quum nullas habeat partes (quod ex psychologicis hic præsupponere licet), annihilari debet, si moritur. Summum quidem divinum Numen ex summa, qua gaudet, potentia omnia ea, quæ ex nihilo produxit, in nihilum iterum reducere potest: hinc omnia creata, nec non animæ hominum, per omnipotentiam divinam, mori iterum

B

possunt,

possunt, h. e. vel in partes dissolvi, vel annihilari: neque quicquam in respectu huius immortale nominari potest *): Quod si vero de immortalitate animæ loquamur, per immortale intelligimus id, quod per ordinem huius universi facultatibus operationum destitui non potest. Sic anima eatenus immortalis est, quatenus etiam post mortem per ordinem huius universi suas facultates distincte percipiendi, adpetendi & averfandi, quibus etiam hac in vita gaudet, retinet. Hinc anima, si est immortalis, non tantum post mortem corporis perdurare, sed etiam perceptiones suas distinctas, memoriamque sui retinere debet.

Immortalitatem animæ ex principiis, quæ sola suppeditat ratio, maxime eruditi, & profunditate ingenii præditi Philosophi, demonstrare conati sunt: quas demonstrationes aliis philosophis, maiori & ampliori scientia pollentibus diiudicandas relinquam **): Nos, qui Christum profiteamur, Deus Optimus Maximus de immortalitate animæ tam certos reddit, ut nullus sane eam amplius negare possit. Talem demonstrationem Salomo eo loco, quem supra breviter exposui, nobis suppeditat. Quum Salomo in antecedentibus adfirmasset, Deum iustissimum esse iudicem, & statuto tempore omnes homines velle iudicare, licet permittat, ut homines hac in vita impie agant, nunc porro observari vult, a statu piorum & impiorum huius vitæ externo ad statum eorum post mortem nullam esse consequentiam, quippe pii post mortem illa præmia, quæ Deus iis, meritum Christi adprehendentibus

*) Sic ego quidem errori Socin, & Lockii, existimantium, mortem non esse pœnam, neutiquam faveo: Licet enim corpus, partibus constans, in suas partes dissolvi, ac in se destrui possit, attamen arbor vitæ parentes nostros primos ab ea destructione, adeoque morte, liberasset, si legem non transgressi fuissent: deinde mors quidem non statim consequuta est, transgressores tamen legis sub mortis pœna erant, eius nuntios experti. Sic nec his dictis adfirmatur, adeo corpora hominum post resurrectionem mortuorum mori: in se tamen esse mortalia, tantum adfirmo.

**) Huc pertinent Isr. Gottl. Langens *überzeugender Beweis aus der Vernunft die Unsterblichkeit der Seele betreffend*, Tub. 1741. edit. it. B. Reimb. Tract. *von der Unsterblichkeit der Seele*: Wolfius, ut & Thumigius in meletem, Varii & rarioris argumenti *Diff. de immortalitate animæ* Cap. III. §. 21. seqq. demonstrare conantur immortalitatem animæ ex analogia mutationis, quam subit anima, dum una cum corpusculo organico uterum matris intrat &c. Licet argumentum ab analogia desumptum aliquid probare videatur inprimis in quibusdam physicis, chymicis ac anatomicis, quod etiam Bulfing. dilucid. §. 361. observavit; attamen non video, quatenus ex hypothesei *veritatem thesæos demonstrare* possimus: quod vero iis relinquam, qui omnem Wolfii philosophiam, omnesque eius hypotheses tam rigorose defendere volunt.

tibus, destinaverit, impii autem pœnas illas, (infinitas nempe & æternas, quas sibi per peccata sua, in se infinita *), attrahunt, certissime adhuc accipiant, quod etiam sacra scriptura omnibus fere paginis testatur. Quapropter Salomo, vi iustitiæ divinæ, animæ, post mortem perduranti, statum moralem, quo præriorum ac pœnarum est capax, tribuit: Hinc, si semel eiusmodi status moralis animæ competat, ille ob eandem Dei iustitiam cessare non poterit: status enim moralis sine præmiis ac pœnis pro iustitia divina cum actionibus hominum antecedentibus coniunctis esse non potest. Eo ipso igitur Salomo piis præmia, s. felicitatem, impiis pœnas s. infelicitatem ratione animæ post mortem tribuens, simul adfirmat, animas humanas post mortem in statu moralitatis manere; Sed nunc ponamus, animas post mortem perdurare: ponamus, in statu moralitatis adeo manere, sed memoria, qua præteritorum, & olim perceptorum recordari valemus, simulque perceptionibus distinctis, quibus res ab aliis distinguere, & ea, quæ cuidam competunt, tribuere possumus, esse destitutas: quomodo quæso anima præmia & pœnas, ut præmia, & ut pœnas, percipere aut sentire poterit? Si enim præmium aut pœnam diiudicare velimus, simul etiam illud, quod præmium aut pœna esse debet, ad actiones antecedentes, quas præmia aut pœnæ sequuntur, nos referamus necesse est: Posito itaque statu morali animarum post mortem corpo-

*) In iustissimo Dei iudicio reatum pœnæ reatui culpæ respondere debere, nullus inficias ire poterit. Peccatorum vero reatus innuit dissensum inter peccatorem & ordinem a sapientia div. constitutum, adeoque inter ipsum Deum: nunc porro inde sequitur, peccatorem etiam in reliquis creaturas invehere defectus: hi vero defectus, hæc mutationes novos semper defectus in aliis entibus producant, quippe mundi huius nexus est universalis. Sic itaque hæc disharmonia in infinitum ac per omne ævum ratione mutationum seriei protenditur: Dein mala ista, sive sint moralia, sive sint physica, ex peccatorum reatu profecta, ita extenduntur, ut terminari, nec a finita cognitione, nec a potentia finita comprehendi possint; & cum denique peccator efficaciter velit perturbare hunc a Deo sapientissime constitutum nexum, eo ipso ille conatus inordinatus lædendi, quem peccata innuunt, indirecte in Deum, ens infinitum fertur, ut, si alias fieri possit, perfectiones illi detrahatur: adeoque talis perversitatis gradus cum peccatis est coniunctus, ut, cum Deus sit ens summum, ac infinitum, ulterius assurgere non queant: hinc omnis reatus culpæ protensive, extensive & intensive est infinitus: E. etiam reatus pœnæ protensive, extensive, intensive in iudicio Dei iustiff. esse debet infinitus: Quum vero hac in vita non pœnis peccatores, ut peccatores, nec meritum Christi infinitum ac æternum fide apprehendentes, adfici infinitis ac æternis videamus, colligendum inde erit, peccatores post mortem pœnis adfici æternis: hinc damnatio peccatorum est perpetua: Conf. Es. LXVI, 24. & Dan. XII, 2. ubi adfirmat Propheta, damnatos resurgere לחי עולם cui opponitur resurgere לחי עולם ad vitam æternam.

corporis, ponuntur præmia, aut pœnæ: positis præmiis, aut pœnis, ponuntur distinctæ perceptiones, memoriaque: Posita vero perduratione animæ post mortem: positis perceptionibus memoriaque sui post mortem, ponitur immortalitas animæ, quod supra jam indicavi. Salomonem vero animis hominum post mortem statum moralitatis l. c. tribuere, ex eis, quæ supra dixi, satis patebit. Quis ergo non videt, Salomonem his in verbis immortalitatem animæ satis demonstrasse? Quis non videt, eos maxime errare, qui opinantur, Salomonem immortalitatem animæ negasse? Hæc verba sane summum iis, qui in fide in Christum usque ad ultimum vitæ terminum permanent, & quibus hoc in mundo tam multa adversa contingunt, præbent solamen; post mortem enim certe vivent, post mortem viventes æterna & eximia felicitate perfrentur. Conf. Magnifici & Summe Reverendi D. Loecheri Evangel. Zehnden P. L. pag. 283. seqq.

Plura hic brevitate causa non addam: Lætor quidem, si Vos, *Viri Clarissimi, Amici optimi*, quædam inveniatis, quæ veritati confirmandæ ac illustrandæ inserviunt: Sin minus recte, aut minus accurate dicta occurrant, non est, quod dubito, quin Vos, *Fautores*, & quilibet lector benevolus, humanitatis suæ memor, ignoscatis, & hocce specimen leve benevole accipiat. Restat, ut officio meo nunc tandem satisfaciam, Vobisque de honoribus, nuper acceptis, nomine eorum, qui legibus societatis nostræ se obstrinxerunt, publice gratuler. Eximiam, solidamque philosophiæ æque ac theologiæ, qua Vos polletis, cognitionem nos omnes satis perspectam habemus. Ex his itaque honoribus, præmiis studiorum atque virtutum, quibus *Amplissimus Philosophorum Ordo* maxime dignos Vos iudicavit, maximam sane lætitiæ voluptatem nos omnes concipimus. Quo maiori autem desiderio ego inprimis semper stragravi, qualiacunque mea erga Vos officia, meumque, quo Vos amplector, amorem declarandi; eo maior etiam ea est voluptas, qua, quod ego inprimis Vobis iam de his gratulari iussus sum, perfundor. Nos semper in votis habemus, ut iste honos in dignitatem familiarum vestrarum, in patriæ ac reip. tum litterariæ, tum christiænæ salutem, immo, in ipsius honoris incrementum a Vobis susceptus fuerit. Speramus denique, fore, ut *vestro favore, vestroque amore* nos amplecti pergatis. Valet, *Fautores ac Amici*, Valet atque favete. Lipsiæ 1745.



99 A 6912

ULB Halle 3
002 721 678




sb.

W 78

VD 77

Rehr o. Kamm





IMMORTALITATEM ANIMAE

EX ECCLES. III. v. 19-21.

DEMONSTRAT

SIMVLQVE

VIRIS CLARISSIMIS AC DOCTISSIMIS

DOMINIS

JO. GOTTHELF KVPFERO,

ZSHOPAVIENS.

JO. THEODORO LINGKIO,

TORGAVIENS.

LUDOVICO QVILIELMO

JVNIO,

LIPSIENS.

DE SVMMIS,

QVOS ACCEPERVNT,

IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

NOMINE

COLLEGII

ΦΙΛΟΛΟΓΟΥΝΤΩΝ

SVB

PRAESIDIO GRAVISSIMO

VIRI MAGNIFICI,

SVMME REVERENDI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMIQVE,

ROMANI TELLERI,

FLORENTIS,

GRATVLATVR

M. GOTTL0B FRID. NICOL. WOLLE,

INFRA-LOQVIZENS. SCHWARTZB.

LIPSAE, LITTERIS BAVCHIANIS.

1745

